

est, cœlum autem amplissimum. Audi testem Baruch: *O Israel quam magna est domus Domini!* cap. III. Ibi regio semper lucidissima, nullas unquam admittens tenebras, quia: *Civitas non eget sole neque luna, ut luceant in ea, nam claritas Dei illuminavit eam et lucerna ejus est Agnus*, inquit Joan. Apoc. XXI. Non ergo lux ibi morti et vicissitudini obnoxia, qualis est solis et lunæ, sed stabilis et perpetua. Claritas Dei quasi sol, humanitas Christi quasi luna est. Hic noctem luminibus illustrare, de die etiam perspicillis non rare uti cogimur; interim adhuc in quam plurimis cœcetimur. Nihil horum ibi necessarium. Jam si in domo lucida cupimus habitare, ad cœlum aspiremus. Ita David, Psalmo CXIX. *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est: habitavi cum habitantibus Cedar*, hoc est, in tenebris, præsertim intellectus. Ibi regio est stabilissima, quemadmodum et ipsum cœlum solidissimum, motum habens stabilissimum, a tot sæculis invariatur, et ne una quidem stellula immutatum. Unde bene Joannes, loc. cit. de ipso ait: *Civitas in quadro* (quæ est figura stabilissima) *posita est*: et qualis est structura, talia sunt et cætera bona in ea contenta. Unde exclamat August. in soliloquiis, c. XXXV. « O regnum beatitudinis sempiternæ, ubi juvenus nunquam senescit: ubi decor nunquam pallescit: ubi amor nunquam tepescit: ubi sanitas nunquam marcescit: ubi gaudium nunquam decrescit: ubi vita terminum nescit! » Hic quid stabile habemus? Domus nostræ terreae, corpora terrena, substantia terrena est, et cum partis bonis frui volumus, cogimur migrare. Jam si e domo ruinosa fugiunt mures et hirundines, teste Solino et Plinio, l. X. c. XXIII. quis non libenter emigret e mundo hoc, ruinas undique minant? Ibi regio pacatissima, quam nullus ingredi inimicus, nullus turbare casus, nullus infestare hostis potest. Quod indicavit Dominus, cum post resurrectionem discipulis in mari fluctuantibus ipse in littore stetit, Joan. XXI. Hic quasi in mari, perpetuis tempestatibus, tentationum et persecutionum fluctibus jactamur: jam hinc, jam illinc lacessimur et velliamur: nihil horum ibi; sed pax summa quies. Nemo libenter incolit domum tumultuosam, aut tempestatibus, ventis imbribus, nivibus perviam. Terra talis est, cœlum vero neutiquam.

II. Eo trahunt nos cœlestium bonorum affluentia, quæ in cor hominis non ascenderunt: de quibus id unum in præsens sufficere potest, quod ait S. Aug. l. III. de lib. arbit. c. XXV. « Tanta est jucunditas lucis æternæ, ut etiamsi non liceret amplius in ea manere, quam unius diei mora; propter hoc solum innumerabiles anni hujus vitæ pleni deliciis et circumstantia

temporalium bonorum recte meritoque contemnerentur. Non enim falso ac parvo affectu dictum est: *Melior est dies una in atris tuis super millia.* » Psal. LXXXIII. S. Nicol. Tolentinas exiguum aliquem prægustum cœlestium gaudiorum hausit in terra; nam: *Ante suam obitum mensibus sex qualibet nocte ante preces nocturnas auribus suis cantiones audivit angelicas longe suavissimas, adeoque delectabiles, ut diceret: Cupio dissolvi et esse cum Christo.* Ita auctor vitæ, apud Sur. 10. sept. Quid erunt reliqua gaudia et bona illius patriæ? At vero in hoc mundo quæ gaudia? Nonne inana omnia, impura et fugacia sunt? Quanta bonorum indigentia? Alius vellet hæc et hæc, et non habet unde emat: alius habet pecuniam, et non invenit, quod emere cupit. Vulgo dicitur Norimbergæ reperiri omnia venalia. Sed quam vane? Ubi illic medicamentum contra lepram, podagram, mortem? Ubi divitiæ et deliciæ Indorum, apparatus Persici, etc. In cœlo sunt omnia et prostant gratis, sine pretio.

III. Eo trahit patria nostra, ad quam inhabitandam creati et vocati sumus. Quis autem est in exilio vel peregrino solo, qui patriam non desideret? Præsertim si cui extra male est. Bestiæ ad nativas suas latebras recurrunt: avicula suos nidos repetunt, et si capiuntur, innatam sibi libertatem quarunt inquietæ semper in caveis. Ad sua contra elementa magno impetu revertuntur: ad mare flumina veluti ad fontem. Atqui animus noster e cœlo oriundus, in terra inquilinus est. Quinetiam si cui extra patriam bene est, patria tamen optatior est, uti docet Adam ille Idumæus e regio semine adolescens, qui Joabi metu profugus in Egyptum, cum ibidem a Pharaone blandissime haberetur, ubi inaudit patriam suam jam hostili metu liberatam, omnibus modis institit apud regem, ut redire sibi in patriam liceret; neque ab hoc desiderio valere eum retrahere omnes Egypti deliciæ ac regis blanditiæ, III. Reg. XI. Quæ igitur ratione fieri potest, ut homo non aspiret, non totis artibus anhelet ad cœlestem suam patriam, qui in hoc exilio tam male habetur? Tam varie affligitur? Quis enim hic sua sorte ita contentus est, ut non aliam desideret meliorem?

IV. Eo trahit summus noster thesaurarius et deliciæ orbis Christus Dominus noster; ubi est enim thesaurus noster, ibi et cor ac desiderium nostrum. Defer alicujus avari thesaurum et sepeli in agrum, ibi habebit cor et cogitationes suas; defer inde in curiam, illa etiam convertet cor suum, non secus ac magnetica acus convertit se ad ferrum, quocumque loco id ponatur. Jam vero thesaurus noster Christus ubi

nisi in cœlo est? Et propterea in conspectu suorum fidelium elevatus est in cœlum: *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et ante eos volitans*, (Deuter. XXXII). ut ad evolandum ex hoc mundo et corpore nostro nos invitaret. Hinc S. Bern. ser. II. de ascensione ait: *Quæramus quæ sursum sunt, quia illic profecto thesaurus noster Jesus Christus, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi: in quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*, ad Coloss. II. Scimus ad sapientissimum Salomonem videndum et audiendum venisse e remotissima regione reginam Saba, III. Reg. X. scimus aliquos philosophos peragrassè longinqua terrarum spatia, ut sapientem aliquem insignem coram audirent: quis autem sapientior ipsa Dei sapientia, Christo? Moysis adhuc pueruli pulchritudinem ut spectarent Egypti, abjectis seriis negotiis abierunt qua ipse præteribat, teste Josepho, l. II. antiqu. c. V. Atqui in Christo glorioso tanta est pulchritudo, ut si omnium stellarum fulgor, omnium florum venustas, omnium gemmarum elegantia in unum confluerent, ad ipsum collata velut nix coram sole colliquescerent. Si virtutum splendor homines ad se trahit, veluti in S. Antonio, ut Alexandrini aliique longe positi in solitudinem ad ipsum spectandum abirent, et imperatores vel acceptis ab eo litterulis summe sibi gratularentur: in Christo Domino inhabitat omnis omnium virtutum plenitudo, gratia et decor. Si magnopere desideramus videre parentes nostros, multo tempore non visos, vel etiam insignes benefactores uti Otthonem imperatorem milites: S. Nicolaum civis ille ter ab eo injecta auri massa donatus: Christus Dominus est summus benefactor et parens noster, a quo omnia accepimus. Si denique eos, quos maxime amamus, ubi Jacob filium Josephum: si illum, qui e summo discrimine nos eripuit, uti Maximilianus I. imp. juvenem, cujus opera e præcipitio ereptus fuit: si inquam illos, quos summo desiderio noscere cupimus: quis major noster amator, quam Dei Filius, qui pro nobis animam suam posuit? *Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos de præsentis sæculo nequam*, inquit apost. ad Galat. 1.

Quid autem desiderabilius excogitari potest, quam hæc omnia adeoque totius divinitatis plenitudinem videre simul collecta in uno homine, nobis simili et fratre nostro Christo, nostri amatissimo.

Sed quid est auditores, quod nos miseri mortales, ad hanc ascensionem ex hoc mundi ergastulo tam frigide anhelemus? Imo plerique fere emigrare trepident ac refugiant? Nimirum quia miseras nostri carceris et exilii, patriæque nostræ felicitatem non expendimus, non co-

gnoscimus. Quemadmodum enim unus aliquis in silva carbonarius, fumoso in tugiolo habitans et a puero innatus, præfert illud suum antrum principum palatiis, quia hæc nunquam vidit: ita nos carceres nostros, quos incolimus, stellatis cœli regionibus miseri anteponimus, et nostras oblectatiunculas cœlestibus illis deliciis. Sic cœlum amittimus et terram non retinemus. At vero nonne ad fidem dictis habendam de cœlesti nostrâ patria, satis nobis esse deberent matris nostræ Ecclesiæ testimonia, quæ in tot millibus piis filiis suis eo aspirat semper, et modis omnibus contendit? Eorum alii infinito numero tradiderunt corpora sua tyrannis excarnificanda: alii relictis omnibus e mundo exierunt et eremos incoluerunt summa in paupertate et ærumna: alii innumeri monasteriis se incluserunt: alii seipsos castraverunt propter regnum cœlorum. Quid hæc omnia causavit nisi ardens desiderium cœlestis patriæ? Et gemit adhuc continuo Ecclesia, quod tam multi ejus filii præsentibus inescati, nihil de cœlo cogitent. Quam rem insigni parabola expressit S. Bern. in serm. de primordiis, mediis et novissimis nostris: « Quid hic, inquit, nisi labor, et dolor, et afflictio spiritus? Sed nunc ita contingit tibi ac si puer in carcere natus sit, et in carcere sit nutritus, et quia nunquam viderit lucem, miretur super tristitia et anxietate matris suæ. Illa enim scit unde doleat, et quia novit bona, graviora sunt ei mala, et recordatione pacis amaritudo ejus amarissima est. Tibi magna bona videntur minora mala, et præ majoribus compedibus, quibus assuetus es, minores annulos requiem putas. Comedere appetis, quia fames te cruciat. Utrumque labor est, sed quia fames gravior magis, comedere nescis esse laborem. Denique, postquam fames depulsa fuerit, vide si non gravius ducis comedere, quam esurire. Sic se habent universa sub sole. »

Hi sunt funiculi, qui si fortiter apprehendantur, evehere nos poterunt ad Christum, thesaurum nostrum, in cœlis repositum; præsertim si ad horum piam meditationem accedat fervens oratio, qualem adhibuit sponsa Canticoorum l. dicens: *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum*. Ubi S. Bern. serm. XXI. *Trahe, inquit, quodammodo invitam ut facias voluntariam; trahe torpentem, ut reddas currentem.*

CONCIO III.

CUR ASCENSIO CHRISTI DICATUR ADMIRABILIS.

I. Quia triumphus tam gloriosus coram paucis exhibitus. — II. Quia ascendit ex monte Oliveti, a quo prius detractus fuit ad crucem. — III. Quia corpus Christi prius deformatum, nunc evectum

supra angelos.—IV. Quia pater amantissimus discedit a filiis gaudentibus.—V. Quia ita a nobis discessit, ut interim nobiscum maneret.—VI. Quia corpore levissimo vestigia impressit lapidi.

THEMA.

Dominus quidem Jesus, postquam locutus est eis, assumptus est in caelum. Matt. ult.

Miranda quidem sunt omnia Christi gesta, magnalia et mysteria: unum tamen ex omnibus velut maxime mirandum praedicat Ecclesia et appellat *admirabile*, ascensionem ejus in caelum. Ita enim in litaniiis orat: *Per admirabilem ascensionem tuam, libera nos Domine.* Admirabilis sane fuit Christi ex Virgine conceptio et incarnatio, admirabilis ejus nativitas, admirabilis epiphania, admirabilis vita, doctrina et miracula, admirabilis eucharistiae institutio, admirabilis resurrectio, in his tamen ab Ecclesia admirabilis appellatur sola ascensio, quam etiam ipse Dominus magis admirandam fore, quam eucharistiae institutionem, insinuavit, Joan. VI. dicens incredulis: *Hoc vos scandalizat. Si ergo videritis Filium hominis ascendentem, ubi erat prius?* q. d. majus vobis miraculum ostendam et signum meae potentiae, in ascensione mea. Et sane quid hac mirabilius? Ascendit caro humana ad angelos, sine curru, sine equis: non ambulat, non volat, non vehitur, non equitat, et tamen ascendit per immensa caelorum spatia: ex quo etiam a discipulis videri amplius non poterat, ascendit in ictu oculi, penetravit quoque et reseravit oculis, solidissime clausos, sine clavibus et arietibus: duxit insuper secum ingentem beatorum exercitum, quotquot ex v. t. electi erant. Magna quidem et mirabilia sunt ista; sed potentiae divinae nihil admirabile, quia nihil difficile, magis multo miranda est Christi ascensio, quia instruit ad virtutem, quod nunc videbimus.

I. Admirabilis est, quia triumphus tam gloriosus et inauditus, coram tam paucis testibus exhibitus est: nimirum coram apostolis et paucis Christi aliis amicis in loco solitario: cum tamen ejus passio et crucifixio, in urbe omnium celeberrima et coram ingenti populo, ipso sic volente, peracta sit. Quae ergo gloriae sunt paucissimis ostendit, quae ignominiae quam plurimis. Nonne hoc mirandum et contra hominum aliorum consuetudinem est, qui turpitudinem, et vililitatem suam tegere, gloriam vero ostentare omnibus viribus conantur? Trahimus vitium istud a primis nostris parentibus; quos imitatus est Phariseus in templo orans, Luc. XVIII. qui habebat utique peccata, sed ea reticebat: bona opera dumtaxat sua ostentabat. *Erat enim*, inquit, D. Aug. in Ps. XXXI. tr. II.

tamquam in statione medici curandus, sed sana membra ostendebat, vulnera tegebat. Non ita Christi imitatores; sed peccata et defectus suos fatentur, bona sua tegunt: sicut prudentes viatores, qui aurum abscondunt quantum possunt, in tibialia vel calceos: vestes autem laceras induunt, quo praedonum manus evadant. Ita S. Eduardus Angliae rex visionem et benedictionem Christi, quam sub sacro acceperat, nemini aperuit, nec ab eo qui simul aderat, aperiri voluit, usque ad mortem. E contra non erubuit per publicam viam gestare in humeris claudum, ut in ejus vita 5. jan. Docuit etiam nos, ut in bonis nostris actibus solo Dei et conscientiae testimonio contenti sumus, quae magna et solida gloria est, mundi vero gloriam negligamus. Sic egit Abraham, quando heroicum illud facinus immolationis filii sui edere voluit: *De nocte enim consurgens stravit asinum suum*, tum dimisit omnes, dixitque ad pueros suos: *Expectate hic cum asino*, et ipsum filium oneravit lignis ut solus in recessu alti montis nullo teste opus id perageret. Sufficiebat enim ipsi, quod Deus id aspiceret. Unde montem illum appellavit *Dominus videt*, aut *videbit*, Gen. XXII. q. d. videt Dominus sacrificium Abraham, licet nemo alius videat.

II. Quia ascensio ista facta est ex monte Oliveti, ex quo antea detractus fuit Christus ad crucem et sepulcrum: quid hac re mirabilius? Ex eodem monte descendere ad summam crucis ignominiam, et ascendere ad summam caeli gloriam? Quis non dixisset Christo: Domine paulo ante in monte hoc sanguinem fudisti, proditus, captus, et ad mortem abductus es, et iterum vadis illuc? Et per illum ad caelum ibis? Via haec ad mortem ducit, non ad caelum. In horto Oliveti quid quaeso reperit Christus nisi tristitiam, sudorem, sanguinem, calicem passionis, osculum Judae, vincula et captivitatem? Haecine sunt scala caeli? Flores gloriae? Sunt omnino. Quisquis ergo ad caelestem gloriam cupit ascendere, prius conetur descendere ad crucem et tribulationem, quisquis fructum gaudii legere, flores tristitiae prius edere. Unde apost. ad Eph. de Christo ait: *Quod autem ascendit, quid est nisi quia et descendit?* Descendit prius de caelo in terram, post de monte Oliveti in sepulcrum et limbum: hinc ergo rursus ascendit in caelum; sicut pila impetu projecta in terram, resilit in altum. Refert Plinius, l. XXXIII. cap. IX. in locis fulmine tactis reperiri gemmas, quae *ceraunia* seu *fulmineae* appellantur, et summa diligentia a Parthorum regibus conquiruntur. Nonne tibi videtur ejusmodi locus esse mons Oliveti? Nonne fulmen in illum incidit, quando calix passionis Christo etiam nauseanti propinatus est, et irrefragabilis moriendi necessitas

a Patre insinuata est? Veram ex isto in fulmine pretiosa gemma enata est, summo studio a Christo quaesita: dextera Patris, ad quam inde ascendit. Sic pincerna Pharaonis ex eodem carcere evectus est ad dignitatem pristinam, ex quo pistor ejusdem detractus est ad furcam, Gen. XXX.

III. Qui in eo corpus Christi, quod in cruce deformatum fuit, et sepulcro lividum, vulneribus plenum et enectum jacuit, hodie evectum est, imo evolavit supra omnes angelos ad caelorum fastigium. Quid hac re mirabilius? Quis enim vidit vel audivit volare in altum corpus humanum, cum ex natura sua grave tendat deorsum? Certe etiam ipsos angelos rem hanc miratos esse scribit S. Amb. lib. IV. de fide S. Trinitatis, cap. I. et indicat Psal. XXIII. introducens Christum caeli fores pulsantem: *Attollite portas, principes, vestras, et elevamini portae aeternales, et introibit Rex gloriae, interrogant enim angeli: Quis iste Rex gloriae?* Et rursus Isaiae LXIII. *Quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua gradiens in multitudine virtutis suae.* Edom *rufum*: Bosra civitas Idumaeae *vindemiam* significat. Volunt ergo dicere angeli: Quis est iste, qui incedit veste sanguine cruentata, quasi vino rubro in torculari perfusus? Uti mox explicat Isaia. Sed ne miremini angeli: hac ipsa enim de causa, quia vestem carnis suae tinxit sanguine in passione sua, idcirco nunc ad vos et supra vos ascendit, velut victor mortis. Magnum certe et stupendum est, carnem evolare in caelum, et ad caelestes spiritus, imo et supra illos. Hoc nimirum in Christo consecuta est, et consequenter in electis; quia simul cum anima militavit, simul cum anima passa est et sanguinem fudit, quod angeli non potuerunt. Quemadmodum enim cum Domino in aulam imperatoris admittitur ejus famulus, sic ad aulam caelestem corpus cum anima, cui fideliter servivit. Caro velut armiger Jonatham (1. Reg. XIV.) strenue secuta est ascendentem in montem et pugnantem in Philistaeos: gestavit arma spiritus, jejunia, temperantiam, sobrietatem, castitatem; pugnavit una cum ipso, orando, genua flectendo, manus erigendo, vigilando, peregrinando, verbera, cilicia, sitim, aestum, frigus perferendo, vulnera, tormenta, supplicia sustinendo. Quid ergo mirum si armiger cum Jonatha, famulus cum hero caeli aulam ingrediatur, et quandoque angelos transcendat, qui talia facere nequeunt? Unde sic loquetur ad Deum anima fidelis: Suscipe me Domine geminum animae carnisque servitium. Te jubente et adjuvante in illo saeculo communem hosti communi intentione divicimus: habet itaque speciales fructus et fragilitas corporis

mei. Ego intellectu, discretionem, consilio spiritualiter contra adversarios steti: caro haec corporaliter operis sudore, sobrietate et jejunio dimicavit. Ego quidem huic fidem, quam dederas, tradidi, sed contra impugnantia blandimenta virtutem de ejus abstinentia et contritione mutata sum. In commune laboravimus, sit commune quod tribues, etc. Ita loquitur et hac de re discurrit Eusebius Gallicanus, hom. 1. de ascens. tom. V. biblioth. ss. pp. Sed jam videant illi, qui ita blandiuntur carni suae, ut ab omni onere exemptum esse velint. Orare subinde volunt, sed percommode sedendo, nec nisi aura temperata et tempore sibi placito. Dare eleemosynas volunt, debita remittere, aegros solari, errantes corrigere: sed carnem onerare jejunio, vigilia, cilicio, aliave molestia, absit. Quomodo ergo praemiabitur caro, si non pugnaverit? Quis tam pigram carnem evehet in caelum? Strages illa quam una cum armigero suo edidit Jonathas inter Philist. visa est velut miraculum a Deo, ut eo loco dicitur. Habent etiam ss. angeli pro ingenti miraculo quod anima humana corpore adjuta, tantam de carne, mundo, daemone, obtinere victoriam possit, unde suo consortio dignissimam esse judicant et carnem et animam.

IV. Quia in hac ascensione pater amantissimus et deliciosissimus discedit a filiis, et tamen filii gaudent. Ita enim habet, Luc. c. XXIV. *Recessit ab eis et ferebatur in caelum. Et ipsi adorantes regressi sunt in Jerusalem cum gaudio magna.* Certe prius aegre separabantur a Christo vel ad modicum temporis spatium, quomodo ergo nunc separati per totam reliquam vitam, discedunt ab eo cum gaudio magno? Nimirum quia Christum quem plusquam se amabant, viderunt tam glorioso triumpho pergere in gloriam suam: et se non ita multo post eum secuturos simili triumpho. Hoc est discrimen inter pios et impios, Dei et mundi servos; quod illi in vita gemunt, in morte canunt; hi in vita canunt, sed in morte gemunt. Ferunt Sirenes, piscium genus, forma mulieribus non absimili, cujusmodi in India captas complures scribit noster Sacchin. in Lainio, l. II. inter vitam suaviter canere: at in morte lamentari ac gemere, (ut confirmat Conr. Gesn. l. IV. de aquatilib. testimonio Germanorum, qui ejusmodi captas viderunt, et morientes velut aegrotos lamentari ac gemere audierunt) ob amarum sanguinem, qui in cor morientium se recipiens tristem causat sonum. Contra cyrenus gemit in vita, suaviter autem in morte canit, sanguine dulci remanet, in cor velut castellum se recipiente. Sirenibus similes sunt mundi amatores, qui in hujus vitae voluptatibus absumunt dulcem sanguinem suum, in

morte gemunt, nihil habentes solatii de vita bene peracta. At vero servi Dei in mundo quidem tristitiam habent: *Mundus gaudebit*, ait Dominus, *vos vero constribabimini*: verum in morte suavissime cantabunt, dum dulcis ille bonae conscientiae sanguis recipiet se in cor eorum, et spem mercedis aeternae. Siren fuit Antiochus ille rex impius et Hebraeorum persecutor, qui moriens gemebat: *Recessit somnus ab oculis meis et concidi, et corruui praesollicitudine: et dixi corde meo: In quantam tribulationem deveni, et in quos fluctus tristitiae, in qua nunc sum, qui perundus eram et dilectus in potestate mea! Nunc vero reminiscor malorum, quae feci in Jerusalem, etc. Cognovi ergo, qui a propterea invenerunt me mala ista: et ecce perco tristitia magna in terra aliena*, 1. Macch. VI. Similiter Henr. VIII. Ang. rex schismaticus et immensis sanguinis innocentis fusor, tot episcoporum religiosorum sacerdotum et aliorum catholicorum, cui morienti monachi expulsi et occisi ante oculos obversabantur, ita ut ex eo crebro appellare audiretur, haud dubie ab ipsis aliisque coram Dei tribunali accusatus, Florinum. l. VI. de ortu haeres. Idem de Cambyse Persarum rege refert, Herodot. l. III. Cum enim suo ipsius gladio saucius in Ecbatanis Syriae sibi moriendum esse videret, deflevit omnem suam conditionem, et sera poenitentia scelerum subiit, quod fratrem Smerdem interfecisset, germanam sororem sustulisset, Apim vulnerasset, Prexaspis filium sagitta interfecisset, multos denique Persarum procerum injuste occidisset, Persae ut regem lamentantem conspexere, universi vestimenta resciderunt, et cum insano homine insaniverunt. Cum Saul requireret asinas suas, nec inveniret, dixit illi Samuel, juxta sepulcrum Rachel ipsum intellecturum, ubi sint ejus asinae, 1. Reg. X. Multi in vita sua aequaeunt invenire peccata in conscientia sua: juxta sepulcrum inveniunt. Contra Dei servitium gaudio replentur in morte, dulci vitae pie peractae recordatione, unde cupiunt dissolvi, et dolent hic se diutius detineri: Qualis inter alios S. Antonius, qui audiens a Paulo eremita, ipsum mox e vita migraturum, flevit rogans ut se comitem itineris acciperet, teste Hier. in vita Pauli. S. Monica filio August. jam converso, caeli cupida dicebat: «Fili quantum ad me attinet, nulla jam re delector in hac vita. Quid hic faciam adhuc, et cur hic sim nescio. Quid hac facio?» August. l. IX. confess. c. X. Denique, si in morte justorum quempiam flere oportet, solum diabolum oportet: *Ille igitur pectus pugnis tundat*, inquit S. Chrys. hom. XXXI. in Matth. *quia tentandi ipsos occasionem amisit*.

V. Quia ita a nobis abiit, ut interim nobiscum maneret. Ita enim ipse paulo ante discessum

suum: *Ecce ego vobiscum sum, inquit, omnibus diebus usque ad consummationem saeculi*, Matth. XXVI. Quod non solum verum est de praesentia spirituali qua per directionem et opitulationem nobis semper adest, sed etiam de praesentia corporali in s. eucharistia. Certabant ut Christo amor triumphantis et militantis Ecclesiae, quarum utraque postulabat eum sibi praesentem. Itaque ut ipse utrique satisfaceret, triumphanti se donavit ad gloriam et gaudium militanti ad meritum et solatium; illi se visibilem, huic invisibilem exhibens: ut haec ambulans per fidem, pertingeret ad illam.

VI. Quia corpus Christi ascendentis, tametsi ex dote gloriosa levissimum esset, terrae tamen in qua stetit, vestigia sua impressit, atque impressa reliquit, ut testatur S. Hier. in locis Hebr. et S. Paulin. in ep. ad Severum II. et alii, ita ut in hodierno die visantur, nec eradi queant. Quid autem vult sibi hoc? Justo cum moriuntur, relinquunt post se virtutum vestigia, nunquam intermoritura, et memoriam indelebilem: impii vero nequaquam. Quis enim jam aestimat reges hujus saeculi, reprobos, quantumvis opibus et robore praecellentes? Quis non eos vituperat et spernit? At vero piorum virtutibus libri pleni sunt: eorum reliquiis gaudet et gloriatur Ecclesia: eorumdem memora magno cum honore celebratur. Unicum hoc dicam: Particulam soleae unius calceamenti, quod gestavit S. Franc. reverenter et instantanter petiit sibi dari Phil. II. Hisp. rex loco maximi thesauri, quae et Burgali asservatur, teste p. Laur. Diaponte, incap. VIII. Sap. hom. CL. Quinam vero talia mundo vestigia honoris et sanctae memoriae imprimunt, nisi qui in corpore levi, agili et subtili, quasi glorioso et caelesti extra corpus habitant? Qui corpus spiritui subjiciunt, et ab illicitis refranant? Nam qui pondere corporis sui feruntur ejusque appetitibus, vivuntque instar pecorum; quid hi laudabilis memoriae mundo imprimerent? De talibus enim dicitur Eccles. III. *Unus interitus est hominum et jumentorum*. In quae verba S. Bern. Quidam, inquit, *similiter exeat, qui similiter vixit? More bestiali incubuit terris: more bestiali excedit terris*, serm. LXXXII. in Cant. Ut ergo nullam post se laudem, nihil memoria dignum relinquunt bestiae: ita nec illi homines, qui brutorum vitam degunt.

His igitur perfectis, jure merito Ecclesia ascensionem Domini nostri appellat admirabilem, quia pluribus in rebus mira et stupenda fuit etiam ipsis angelis. Sed quid prodest nobis admirari ascendentem Dominum, nisi et sequamur. Audimus enim angelos dicentes: *Viri Galilaei, quid statis aspicientes in caelum?* Act. 1. q. d. *quid admiramini Dei Filium caelos repetere,*

unde descendit? Adlaborate potius, ut ipsum imitemini. Hoc nos mirabimur, si viderimus servos etiam intrare, quo praecessit Dominus. Id enim in Ecclesia mirantur ss. angeli, Cant. VIII. cum admirabundi aiunt: *Quae est ista, quae ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* Nimirum uti S. Ambros. in Ps. CXVIII. ser. XIV. § V. explicat: «Mirantur illae virtutes, ex isto confragoso scopulosoque deserto, aliquam ascendere animam posse sine magnorum labe vitiorum, et ideo gratulantur repertam, quae vestimenta innocentiae naturalis non polluerit atramento insipientiae saecularis, sed magis sapientiae spiritualis et gratiae candore mundavit.» Porro qui ad hanc admirabilem pervenire ascensionem desiderat, observet ea, quae in eadem sententiam scribit S. Greg. (apud Cornel. Cant. VIII. § 1. «Sancta anima, inquit, de deserto ascendit; quia in exilio hujus peregrinationis posita ad caelestia gaudia et cogitationibus tendit. Unde et Paulus dicebat: Nostra conversatio in caelis est. Deliciis affluit, quia S. Scripturae meditationibus intendens, caelesti pabulo assidue mentem pascit. Super dilectum innititur, quia in solius auxilio confidens, eo largiente ab exilio ad patriam transfertur.»

CONCIO IV.

QUATUOR VIAE IN COELUM EX MONTE OLIVETI.

I. Perseverans oratio. — II. Misericordia erga misericordiam. — III. Mortificatio et patientia. — IV. Assidua judicii cogitatio et memoria.

THEMA.

Videntibus illis elevatus est. Act. 1.

Non caret documento, quod Salvator noster coram suis discipulis, et *videntibus illis elevatus est* in caelum. Voluit enim procul dubio per hoc demonstrare, se esse aquilam, de qua dixit Moyses, Deut. XXXII. *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans expandit alas suas*. Nimirum ut doceret suos, quorsum et qua via evolare ad caelum etiam ipsi possint ac debeant. Quam quidem viam olim difficilem sibi esse Salomon testatus est, Prov. XXX. *Viam aquilae in caelo videlicet*. In quem locum S. Ambr. l. 1. de Salom. c. II. ait: «Aquilam in hoc loco Christum Dominum nostrum debemus accipere, qui post venerandam resurrectionem qua docuit humanum genus in vitam redire posse post mortem, velut aquila revolavit ad Patrem, etc.» Porro viam caeli, qua sequi eum liceat, insinuat nobis per vestigia sua monti Oliveti impressa, quasi per illa loquens: *Qui me sequi vult, montem hunc conscendat. Invenio vero in illo quatuor vias quas expendemus.*

I. Christus ibi crebro orare consuevit, teste Joann. c. XVIII. *Frequenter Jesus convenerat illuc cum discipulis*: et Luc. XXXI. *Ibat secundum consuetudinem in montem Olivarum*. Ibi ergo orabat, et alias et immediate ante passionem. Haec est via prima, de qua Psal. LXV. *Benedictus Deus, quae non amovit orationem meam et misericordiam suam a me*. In quem locum S. August. ait: *Cum videris non a te amotam deprecationem tuam, securus esto, quia non est a te amota misericordia eius*. Duo haec, misericordia Deo et oratio nostra, sunt sicut duae vesicae, quibus innatant pueri, ne submergantur. Quamdiu illas arcte sibi adstrictas gerunt, tamdiu securi sunt a submersione. At ubi una solvitur vel frangitur, tunc altera etiam deserit eum. Sic misericordia Dei, quamdiu nexa fuerit cum oratione nostra, tamdiu servabit nos soluta vel fracta oratione, solvitur etiam ac frangitur misericordia Dei, homoque perire ac mergi incipit. Nonne Jonas jam in profundum maris demersus a ceto fuit? Et tamen ubi orare cepit, iterum emersit, et in litus ejectus fuit. Nonne Petrus jam mergebatur? Et tum ubi oravit: *Domine salvum me fac*, emerit Matth. IV. Similiter alibi discipuli omnes jactati in tempestate et proximi submersioni, ubi clamaverunt: *Domine salva nos, perimus*, iterum emerunt. Maximopere ergo cavendum ne funis ille frangatur, qui nostram orationem et misericordiam Dei connectit. In usu veterum fuit, ut Deus suis funibus manicisque vinciret, ne a se discederent. Sic Tyri obsidione pressi Herculem vinxerunt, ne diffugeret, ut refert Plat. probl. c. LXXI. et Curt. in vita Alexand. l. VI. c. IV. Idem fecerunt Lacedaemonii cum Martis statua, ut Pausan. l. III. Nos fortiori et veriori nexu alligare nobis Deum nostrum possumus oratione assidua, quae est funis quidam et piis petitionibus, et suspiriis contextus. Sic enim Moyses, cum diceret populo: *Non ascendam tecum, quia populus durae cervicis est*, orat: *Si non tu ipse praecedas, ne educas nos de loco isto*, et mox audit: *Et verbum istud quod dixisti, faciam*, Exod. XXXIII.

II. Ibi misericordiam exhibuit, primo, suis discipulis, immunitatem eis praestando: *Simile hos abire*; utpote adhuc debiles et timidos; deinde, cohorti permittendo ut prostrati resurgerent; denique, Malcho comprehensori suo, cui abscissam auriculam restituit. Et bene hanc in monte Oliveti, quia oleum et oliva typus est misericordiae in sacris et profanis litteris. Unde Samaritanus ille in vulnera ejus, qui in latrones incidit, oleum et vinum infudit, atque haec est altera ad caelum via, quam expressit Christus, cum in illo monte sedens dixit examen judicii de misericordiae operibus maxime instituendum: